

DE
ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE

IN FORO EXTERIORI.

TITULUS VICESIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Confessarius simplex non potest absolvere ab excommunicatione.
- 2 Episcopi absolvere possunt ab excommunicatione a jure lata.
- 3 Excommunicatio reservata Summo Pontifici absolvi debet ab eo, qui eam tulit.
- 4 Facultas absolvendi ab excommunicatione debet haberi in scriptis.
- 5 Modus praescriptus in facultate est observandus.
- 6 *In forma Ecclesiae consueta* quid significet?
- 7 Duplex cautio exigenda ante absolutionem.
- 8 Parti laesae satisfieri debet.
- 9 Abstinentia a similibus promittenda est.
- 10 Formula de stando mandatis Ecclesiae.
- 11 *Parito judicatio* quid importet.
- 12 Non sufficit cautio de parendo judicatio.
- 13 Cautio pignoratitia potest dari.
- 14 Qua neglecta in adimplemento non reincidi in excommunicationem.
- 15 Vestes Sacerdotis absolventis quales esse debeant?
- 16 Pluvialis quandoque adhibetur pro absolutione impertienda.
- 17 Poenitens utroque genu flecti debet?
- 18 Humerus denudari debet in masculino.
- 19 Foeminae non denudatur ob decentiam.
- 20 Quinam humerus denudari debeat?
- 21 Denudatio vere quid significet?
- 22 Saccus pro camisia quandoque adhibebatur.
- 23 Virga pro absolvendo ab excommunicatione qualis esse debeat?
- 24 Deus amat cordis compunctionem.
- 25 Psalmus *Miserere* recitandus.
- 26 Percussio cum virga quomodo interpretanda.
- 27 Sedere est proprium Judicis.
- 28 Supplicationes debent fieri magna cum reverentia.
- 29 Delegatio in absolutione exprimenda.
- 30 Causa excommunicationis enarranda.
- 31 Causa desumi debet a Processu.
- 32 Cancellarius debet esse praesens.
- 33 Forma communis Absolutionis.

- 34 Absolutio sine forma praescripta fit privatim.
- 35 Regulae pro impetranda facultate a Sacra Poenitentia.

1 2 3 Cum simplex Confessarius absolvere nequeat ab excommunicatione generaliter ab homine lata, necesse est, ut ab iis, qui de jure hanc facultatem habent, illi proveniat. Ab excommunicatione lata a jure, nemini reservata, absolvere possunt Episcopi aliique Praelati habentes jurisdictionem Episcopalem, imo etiam Parochi, et Sacerdotes simplices habentes facultatem absolvendi a peccatis idque eruitur *ex Cap. Nuper: de Senten. Excommunic.* ubi absque ulla limitatione dicitur: *In secundo vero casu* (scilicet excommunicationes a jure non reservatae) *a suo Episcopo, vel Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere:* ibique ratio adducitur suis verbis: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Ab excommunicatione vero reservata Summo Pontifici, vel Episcopo, absolvere solus potest qui eam tulit, vel successor, vel delegatus, et in hoc omnes DD. conveniunt.

§. I. Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est: Si vero in mandato, seu commissione dicitur, *In forma Ecclesiae consueta absolvat*, haec servanda sunt.

4 5 Obtenta ista facultate, quae debet in scriptis haberi, serio animadvertere debet Sacerdos, an Superior praescribat modum peculiarem absolvendi: et hic modus erit omnino servandus: at si dicatur: *in forma Ecclesiae consueta*, tunc duplex cautio est exigenda, prout in §. sequenti explicabimus: forma enim consueta Ecclesiae in foro exteriori est ut in Rituali praescribitur.

§. II. Primo ut excommunicatus ei, ob cujus offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat: quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebet aut saltem, si eam praestare non potest, juret se, cum primum poterit, satisfacturum.

denudatio humeri facienda est. Foeminae ob modestiam, et decentiam non denudantur, eadem de causa propter quam nec illis unguuntur lumbi in extrema Uctione, ut dicemus suo loco. Dextri humeri denudatio debet fieri, quia hoc est latus magis nobile, Cassan. *Cat. gl. Mund.* Hic quaerendum est autem cur Rituale praescribat hanc denudationem humeri, et postea sebjungat: *usque ad Camisiam exclusive?* Si remanet humerus camisia coopertus, non denudatur: si denudatus, camisia exiit. Memini me vidisse publicam absolutionem diversorum excommunicatorum, quibus denudatus fuit singulis dexter humerus usque ad camisiam inclusive; quo vero ritu, prorsus ignoro: certe Rubrica clare loquitur, nec pati videtur carnem nudam conspici. Tota difficultas consistit in significatione verbi illius *denudato*, quae significatio tam stricte accipi non debet: Non enim semper interpretanda est pro expoliatio usque ad carnem, sed quandoque etiam valet pro simpliciter expoliatio primis vestibus. Ita explicat Fabrinus illum locum Epistolarum Ciceronis *l. 12. fam 15. Cives crudelissime denudati*, qui locus valet, ac si italice diceret: *Ridotto in camisia.* Aequivalere enim debet iste ritus illi Poenitentium antiquorum in primitiva Ecclesia relat. a Casal. *c. 61.* quando, referente Sidonio Agathense *can. 63. dist. 50.* Poenitentes incedebant *Sacco induti, et nudis pedibus.* Secundum resentiorem Ecclesiae disciplinam, Camisia pro Sacco habetur et sufficit ista publica demonstratio, ut appareat humilitas poenitentis.

23 24 25 26 Modo de Virga, seu funiculis. Hodie communiter est in usu Virga lenis, et laevigata: antiquitus flagellabantur funiculis Poenitentes usque ad sanguinis effusionem, quod postea sublatum est a pia Matre Ecclesia: ista enim materialis flagellatio, utpote involuntaria, parvi habebatur. De facto textus praescribit, ut leviter absolvendus percutiatur, quia cordis compunctionem, non sanguinis effusionem amat Deus, Kemp. *de imit. l. 3.* Ista levis percussio solet fieri singulo versiculo Psalmi *Miserere*, qui est poenitentialis, Gavant. *t. 1. sect. 9. c. 4.* et supra utrumque humerum fieri potest, quia cum hodie denudatio humeri sit mere caeremonialis, non est stricto modo interpretanda percussio super illo tantum humero: Ita vidi saepe in praxi fuisse: sed Textus dum dicit: *In humero leviter percutit*, videtur quod praescribat, humerum denudatum unice percutiendum esse.

27 Hoc totum facit Sacerdos sedens, quia sedere proprium Judicis est, et jurisdictionem importat, *cap. fin. de sentent. et re jud. in 6. §. sedebunt, Auth. de re judic.* unde inolevit praxis ut in sententia definitiva dicatur: *Nos pro Tribunali sedentes, etc.* Peregr. *Prax. Vic. p. 2. sect. 3. subs. 1. n. 61.*

§. V. Deinde surgit, et aperto capite dicit, *Kyrie eleison, etc.*

28 Cum istae supplicationes fiant Deo, debent fieri omni cum reverentia: ideo surgit Sacerdos, quia cessat Judicium Mundi, et intrat Miseratio Dei.

§. VI. Mox sedet, et cooperto capite dicit: *Dominus noster, etc.* et *Ego auctoritate ipsius, et SS. D. N. Papae* (vel *Reverendiss. Episcopi N. vel talis Superioris*) *michi commissa absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi, (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, vel causam, etc.*

29 De novo sedet, quia de novo Judicis partes, et personam assumit, ut supra dictum fuit, caput cooperiens. Expri- mit insuper delegationem, seu commissionem habitam vel a Papa, vel ab Episcopo, vel ab habente jurisdictionem Episcopalem, atque hos debet specialiter nominare, ut in documento publico quod a Cancellario ibi praesente conficitur, adnotetur, *Monacell. d. absol. form.*

30 31 32 Pariter exprimere debet causam, propter quam Poenitens absolvendus incurrerit in excommunicationem, et haec causa in suis terminis exprimi debet: v. g. Ob percussio- nem Clerici; ob violationem loci immunis; ob alienationem Bo- norum Ecclesiasticorum; ob appositas custodias confugito in loco Sacro, etc. et haec expressio desumenda est a processu super delicto fabricato. Cumque Cancellarius semper sit praesens, ipse suggerere potest formulam propriam enunciandi delicti.

§. VII. Quod si Sacerdoti nulla sit a Superiore praescripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiae communi, vel consueta absolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate praedictam caeremoniam et preces adhibeat. At vero si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit dicens: *Dominus noster, etc.*

33 Saepe evenire solet, ut in commissionibus nulla praescribatur forma absolutionis: Forma communis est illa in Rubrica antecedenti explicata forma vero consueta est quae modo sub explicatione cadit. Haec remittitur arbitrio, et prudentiae Confessarii, qui casuum gravitatem considerabit, nempe facti qualitatem, percutiendi modum, circumstantiam loci, et personae, Joann. XXII. apud Navar. *Man, cap. 27. n. 92.* Quae vero sit levis, mediocris, seu enormis causa, vide apud Gavant. *Man. Ep. verbo Violenta.* Sed si absoluturus esset in dubio, num gravis, vel levis fuerit res ob quam absolutioni subjacet poenitens, semper circa metas potius decernere debet, quam ultra, Gavant. *ibidem, n. 5.* et sic adhibere formam communem: *Dominus noster, etc.*

§. VIII. In foro autem interiori, Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra praescriptam in absolutione Sacramentali.

34 Si per litteras Poenitentiae, vel aliter Confessarius habet facultatem absolvendi ab excommunicatione; formam communem adhibere debet, nempe *Misereatur, etc.* et privatim danda est absolutio sine testibus, et Cancellario.

35 Regulae tenendae in impetrandis, et adimplendis litteris summae Poenitentiarum, habentur in diversis libris; sed nuper diligenter insertae fuerunt in *Synodo Dioecessana Ferrariensis*. habita a Cl. Mem. Cardinal. de Verme, anno 1711.

Harum litterarum usus requirit Confessarium valde prudentem, et in Sacramentali Confessione magnopere versatum, expertumque, ut adamussim adimpleantur juxta praescriptionem, nec citra, nec ultra procedat ejus delegata potestas.

RITUS

ABSOLVENDI EXCOMMUNICATUM

JAM MORTUUM.

TITULUS VICESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Soli homines viventes possunt excommunicari.
- 2 Mortui excommunicari non possunt.
- 3 Mortuos absolvi posse dicitur improprie.
- 4 Mortuus absolvi potest ab eo qui poterat eum absolvere vivum.
- 5 Mortuus absolvitur ut sit capax Ecclesiasticae sepulturae.
- 6 Formula facultatis absolvendi mortuum.
- 7 Datur iste casus in eo qui priusquam moreretur, quaesivit absolvi.
- 8 Si excommunicatio occulta est, non indiget, ut absolvatur.
- 9 Si in foro externo sit excommunicatus absolvi debet.
- 10 Formula porrigenda Sanctissimo pro impetranda absolutione.
- 11 Forma absolvendi mortuum.
- 12 Absolutio mortui fieri debet publice coram testibus.
- 13 Verberatio cum virga fit supra totum corpus.
- 14 Mortuis olim ministrabatur Eucharistia, et Baptismus.
- 15 Excommunicatus denunciatus non potest sepeliri in loco Sacro.
- 16 Etiam si signa Poenitentiae dederit.
- 17 Signa valent ad impetrandam facultatem absolvendi.
- 18 Signa poenitentiae in excommunicato quatenam sint?
- 19 Cadaver excommunicati exhumari potest si commode fieri possit.
- 20 Quae impediunt ne cadaver exhumeretur?
- 21 Si exhumari non potest, sufficit si verberetur locus, in quo jacet.
- 22 Quamvis privetur sepultura Ecclesiastica, non privatur suffragiis Ecclesiae.
- 23 Cadaver excommunicati sepultum inadvertenter in Ecclesia exhumari non debet.
- 24 In hoc casu verberatur tantummodo sepulchrum.
- 25 Et coram testibus, confectu publico instrumento.
- 26 Sepelientes excommunicatum in Ecclesia scienter, incurrunt in excommunicationem.
- 27 In Ecclesia in qua sepultum sit cadaver excommunicati, non potest celebrari Missa.
- 28 Neque possunt in ea sepeliri cadavera.

6 7 8 Duplex cautio exigenda est ante absolutionem ab excommunicatione majori, et praestanda est a Reo, ut plene adimpleatur, et observetur forma Ecclesiae consueta. Certum enim est, quod aliquis esse debet offensus a commisso delicto, propter quod talis Reus in excommunicationem incurrit: sed cum regula generalis sit, non remitti peccatum nisi restituatur ablatum, dari debet prius haec satisfactio, et pars laesa reintegrari: nullus enim neque in foro interno neque in foro externo absolvendus est, nisi prius sit aliquo modo parti laesae satisfactum, vel cum ea transactum, Monacell. *d. n.* 76. Quod si Reus statim hoc praestare nequeat, tunc cautionem sufficientem dare debet, scilicet pignoratitiam, vel fidejussoriam quae si neque haberi possit, sufficit juratoria, quia nemo ad impossibile obligari potest, Pirhing. *in jus can. l. 5. tit. 39. n.* 163.

§. III. Secundo: si crimen, ob quod in excommunicationem incidit sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiae, quae illi fient pro tali causa: ac praecipue, ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit.

9 10 Altera cautio, quae in facultatibus, et dispensationibus apponi solet, est, *ut a similibus se absteineat*. Ideo absolvendus praestabit juramentum de parendo mandatis Ecclesiae, et de non committendis imposterum hujusmodi delictis *c. ex tenore, cap. ad haec, de sent. excomm.* Quod tamen non exigitur pro levibus delictis, sed tantum quando absolutio est solemnis pro gravi crimine, Lazar. *quaest. can. d. sect. 4. q. 12. n.* 11. quae obligatio etiam exprimitur cum formula *de stando mandatis Ecclesiae* ob delictum.

11 Solent quoque apponi in dispensationibus, et facultatibus hujusmodi aliae formulae, et praecipue quandoque illa: *parito judicato*; quae intelligenda est, si Ordinarius ipsum poenitentem declarasset excommunicatum, aut illum quoquomodo ad aliam poenam condemnasset: quando quidem debet illi sententiae latae, seu ferendae omnino parere. Idem quoque dicendum est si fuerit ad forum Judicis saecularis renunciatus, ut plectatur poenis delicto debitibus: utroque enim in casu tenetur poenitens parere, ut innuit illa dictio *quoquomodo*, in dispensatione injuncta, quae cum sit universalis, comprehendit omnes modos, Menoch. *con. 344. n.* 19. Mascard. *de prob. conc. 1131. n.* 16. allegat. a Corrad. *Prax. dispens. l. 8. c. 2. n.* 23. Nec prius potest Poenitens ad sua munera obeunda redire,

quam judicato paruerit: clausula enim haec: *parito judicato*; tribuit jurisdictionem conditionalem, ac propterea illam suspendit, donec fuerit paritum; Et processus dictae dispensationis antea factus, erit nullus, et sine jurisdictione, Rot. apud Farinac. *dec. 68. n.* 1. Et ita neque executor, nec Ordinarius potest procedere, nec Poenitens potest audiri, nisi prius verificato, quod paruerit judicato. Put. *dec. 16. ut lit. pend. et dec. 429. l. 1.* Non partim, sed integraliter, Ludovis. *dec. 566. n.* 2. *et ibi addit. n.* 3. Quia cum dicta verba posita sint in abltivo absoluto, conditionem important. *l. a test. ff. de condit. et demonst. Jas. in l. 2. n.* 12. *C. de jure emphyt. Caputaq. decis. 111. n.* 3. *p. 1. Corrad. d. n.* 24. Propterea non sufficit, quod poenitens velit praestare cautionem de parendo judicato, ut possit interim delegatus exequi literas dispensationis, cum id positum sit sub conditione: quare debent adimpleri in forma specifica, non autem per aequipollens, juxta *text. in l. qui haered. §. Maevius, ff. de condit. et demonst. Surd. cons. 186. nu.* 19. Corrad. *d. n.* 25.

12 13 14 Si autem ita absolutus, nempe per cautionem etiam pignoratitiam, postea satisfacere negligat, non reincidit in priorem excommunicationem, sed poterit iterum a Judice excommunicari, *c. ad reprimendam, de. Off. Ord.* Absolvens autem ante praestitum juramentum de patendo mandatis Ecclesiae, vel ante praestitam satisfactionem parti laesae, illicite quidem absolvit, sed valide, quia haec non pertinent ad substantiam absolutionis, *c. venerabilibus 7. §. sane, in fin. de sent. excomm. in 6. Bellet. d. de favor. Cler. can. §. 5. n.* 47.

§. IV. Denique hunc absolvendi ritum observabit. Poenitentem coram se utroque genu flexo, in humero (si vir fuerit) usque ad camisiam exclusive denudato, virga, aut funiculis, sedens leviter percutit, dicendo totum Ps. *Miserere cum Gloria*, etc.

15 16 Ut in praxi ponatur actus iste absolutionis, docet textus modum tenendi distincte; Et primo sciendum est, quod Sacerdos absolvens debet esse superpelliceo, et stola violacea indutus, Corsett. *d. de Poenit. c. 5. n.* 29. Aliquando vero vidi in solemnibus excommunicatorum absolutione Vicarium generalem, seu Canonicum Poenitentiarium coopertum pluviali violaceo, sed quo praescribente ritu nescio.

17 18 19 20 21 22 Poenitens igitur utroque genu flecti debet ante Sacerdotem absolventem, quia iste est actus verae humilitatis, et peccatoris, Corsett, *Ind. Rat.* Ulterius